



## CAPUT III.

DE

DIVISIONE FEVDI, IN SPECIE  
FEVDIS PROPRIIS.

## DISTINCTIONI.

*Inter feudum proprium et im-  
proprium.*Explicatio  
rubri.

**I**psam naturam ac fundamentum huius distinctionis, iam exposui. <sup>1)</sup> *Proprium* scilicet *feudum* dicitur, *quod, praeter essentialia, omnia etiam feudi naturalia salua*, nihilque praeter ea per pactum adiectum *habet*. *Improprium* est, *cui saluis essentialibus naturalia quaedam feudi per pacta contrahentium ademta sunt*, vel *cui saluis caeteroquin per omnia essentialibus et naturalibus aliquid insoliti et a regula declinantis per pacta est adiectum*. <sup>2)</sup>

Vtus distin-  
tionis

[p. 38.]

Vtilitatem quidem huius distinctionis, praeter eam, quod distinctius notari possint species *feudorum*, nullam esse putat *Ge. BEYERVS* <sup>3)</sup> verum non satis perspecte ita docuit. Sat grauem enim huius distinctionis usum adesse, sequentia probabunt.

I. *Feudum proprium* determinationem suam recipit ex iure vel communi, vel particulari, ideoque, si quaestio controversa circa illud suboritur, ea ex communi *feudorum natura per Leges et consuetudines feudales vel uniuersales vel par-*

1) Ad cap. praec. Dist. I. MOEL.

2) I. Feud. I. §. vlt. I. Feud. 2. §. 1. et 2. II. Feud. 2. §. 2. II. Feud. 48. II. Feud. 81. MOEL.

3) in delin. iur. feud. cap. I. pos. 57. MOEL.